DOMUS
Fortunæ & Honoris
In aviti Luminis Decus
Clarissimis, Polo Poloniæ
Orisq; Orbis Nominibus
JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO DOMINO DOMINO Comiti in Czekarzowice & Tęczyn.
CAROLO TARŁO
Stężycensi &c. CAPITANEO, S. R. M. & Reipublicæ Colonello.
ac
JLLUSTRISSIMÆ
JOSEPHÆ GRABINSKA
CASTELLANIDI SANOCENSI
Sponsalitio nexu obligatis
Voto Artifice.
ERECTA
Oratorijs Luminibus
Collegij Ressoviensis Scholarum Piarum
IRRADIATA
Anno quo Lumen de Lumine Domum Virginalis
Uteri luce replevit indefessa
1739 Mense Januario.

SANDOMIRIÆ Typis Collegii Soc: JESU.

IN AVITA.

JLLUSTRISSIMORUM NEOSPONSORUM

DECORA



1.

Aſsurgunt Capitis, Grabinſcia Nomina Senſu,
Ex illo Lechicus, Dogmata Conſus habet,
Aſcia Tarłonum Columen Superextruit? Ergo,
Non ruit in præceps, Patria firma Lechi,

2.

Funera non Capiti, Crudelia Fata minentur,
Aſcia Tarłonum Fata ferire valet,

3.

Dædala ſint quamvis frangit monumenta Vetustas,
Aſcia, quam Condit, non Domus illa ruit,

ILLUSTRISSIMI
Ac
EXCELLENTISSIMI
NEOSPONSI.

HUcusq; Artifex Eloquentia, privatò contenta habitaculô, circa efformandos comptos, & idoneos, è nondum dedolato ligno laboravit & desudavit Mercurios, qui integritatem Patriæ, immunitatem Libertatis, Majestatis securitatem, Ordinum inde-

 mnita-

mnitatem benè explorato, eloquij, Consiliorum, ac rationum artificio, in solido tandem possint duraturæ felicitatis stabilire fundamento, hodiè in publicum tendit, solenneq; Magnificum, ac Majestuosum aggreditur opus, & illud sollicito tractandum assumit labore, Domum inquam Fortunæ & Honoris, probato Artifice voto amplissimis TARLONUM & GRABINSCIORUM Nominibus erigendam. JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI. Hucusq; Oratorijs Luminibus, in umbris Religiosæ modestiæ hærere placuit, nec frivola (ut multis consentaneum) per immaturas laudes inclarescere visum luce, placuit Scholasticas noctuas transformare in Aquilas, quæ ad Phæbi scientifici probatæ & exploratæ radios, ad Soles Regnorum directæ non cæcutiant, hodie tandem postquam triumphales, benè ordinati Hymenæi acceduntur thædæ, postquam Avita GRABINSCIORUM LUMINARIA in Polo Poloniæ & per Oras Orbis clarissima in Domo TARLOVIANA, Domo Fortunæ & Honoris resplendere, imo Advitalitio horoscopari incipiunt Lumine, procul usitatam removent caliginem; non ideo tamen, ut Nobilissima Luminaria alienam emendicare ostendant lucem, cum utraq; Domus Cælum luminum sit, origo Familiarum astra tangat,

prima

prima aurora sole illustrior primus surculus Cælo vicinus, primus latex Archi-Pelagus, verùm ut diem Honoris & indeficientis importent felicitatis, seu veriùs ut in Vestro candicent obsequio, ut lucidissimas toto Orbe TARŁONUM & GRABINSCIORUM Ceras præfulgidos magni ad invicem animi splendores, quo possint styli ardore accendant. Is nempe Calasantinæ mentis fervor est, ut nunquam in TARŁONUM torpeat Elogia, illa obligatæ Religionis sollicitudo, ut tantis Victoribus solidet triumphos, fabricet plausus, erigat Encomia, ille Scholarum Piarum Zelus ut emerito Honori studeant indefessè promovendo, doceant Orbem palamq; de sublimiori suggestu cunctis explicent, crimen esse nefandum, gloriosissimos TARŁONUM actus, Publicas in Ministeria Regni & Senatûs Curules, ináugurationes, indefessos pro DEO, & Religione conatus, exantlatos pro Patria, & Libertate labores, depresso comprimere, & præterire silentio, cum Orbis necesse sciat quid & quanti sint TARŁONES. Agit itaq; pro munere suo Orator utinam pro Vestro Honore JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI sufficienter. Eluctatur in Laudem Sociatorum Numinum & Nominum Elogiastes Penna, utinam pro Vobis competenter. Pondus enim Meritorum Ve-

ſtrorum timorem eidem incutit. Elicit non jam atratam nigredinem, verùm ſudoris guttas de frontis mari Panegyriſta calamus, ut TARLONES & GRABINSCIOS, uniones ad Coronas Regum concordes aſſerat, utinam adæquatè; immenſum enim Meritorum metiri tentare Oceanum auſus eſt, & periculum, & tentata non adæquare propudioſum. Demum manum admovet operi præconcepto, ut ex integro perfectum efficiat, quod antequam Veſtris ſeſe JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI inſinuabit obtutibus, fabricata prius palpate vota. Sicut in circumſcriptis unquam in circulo Æternæ ſuæ Sapientiæ Conceptibus, Ter Optimus Maximus provisè diſpoſuit, & ordinavit, ut duo diſtinctorum corda, eodem indiviſo mutuæ charitatis ſociarentur, & unirentur nexu, idem Donorum Dator in ſeras ætates innumera multiplicet ſolatia, ità Vobis voto Panegyriſtæ.

JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI

Obligatum Scholarum Piarum Collegium Reſſovienſe precatur.

PANE-

PANEGYRICUS.

FAceſſite, ſuperbo tumere apparatu Commentitijs Pòëtarum aſſertis, commendata Martis cum Bellona, Phæbi cum Cynthia, ſponſalitia. Deſinite faſtuoſi Romanorum annales, Auguſtam jactare Pompam, in Liviæ cum Auguſto, Serenæ cum Honorio, celebratam Connubijs, non ità menti Veſtræ faventem & ex toto addictam credimus Fortunam, ut ſe totam amico ſociaſſet nexui, ac perenni obligaſſet fædere; cum hæc etiam minorum inſtar ſiderum, ad motum primi movetur moventis; & vel illis maximè gratioſo favet influxu, quibus etiam Numina favent. Deſinite ergo inani commendari faſtu, opponit ſe, Majeſtati Hymenæi Veſtri, longè Magnificentius, in magnitudine Nominis immenſum, in claritate *JLLUSTRISSIMARUM PROSAPIARUM* ſplendidiſſimum, in Honorum amplitudine Celſiſſimum, in Meritorum pluralitate vix comprehenſibile; & quod maximùm, in favore immortalium Deorum à Vobis diſtinctum, *Par* Cælo amicum *JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI CAROLUS & JOSEPHA.* Par congruentiſſimo junctum fædere, quià per Dilectum Dijs, Idæam CHRISTI, paranymphum

Franciſcum Seraphicum compoſitô, quia Principe Pacis in terras deſcendente, & ad vitalitios contractus & tractatus, æternùm duraturos ſubſcribente. Felix & ter beata compoſitorum unio, ad quam ſtabiliendam unio concurrit Hypoſtatica. Glorientur amæniſſima multorum Hilaria, plurimos fauſtiſſimis ſucceſſibus, compoſita Societate repleri annos; *CAROLO & JOSEPHÆ*, non vano omine fortunatiſſima Artifex votum figurat & erigit ſæcula, cum Theſaurum Cæli, & terræ, in tempore, humano concreditum generi, videat ſe recipere in Domum Fortunæ & Honoris JLLUSTRISSIMI; ac Domum Luminum & Decoris ILLUSTRISSIMÆ SOCIÆ VITÆ. Deſcendit Hoſpes gratiſſimus, ut ex favore ſummo Pontificali CAROLO & JOSEPHÆ benedicat. Plura dico, Sol Myſticus in Orbis Polo, & Poloniæ exortus, ad pellendam tetram caliginem, quâ miſerum genus humanum afficitur, honoratis à tanto ſæculorum tractu Nominibus, plenioris Faſtigij perfectum accendit meridiem, tantæq; Hymenæi Luci, Lucem addit Nobiliſſimam. Non hic fæderatus adverſæ ſortis exercitus bella intonet, non invidus in fortunatiſſimum Connubium arma provocet orcus, ac fædera Pacis mutuæ diſrumpere tentet, Militia Cæleſtis Regem ſæculorum comitata præſtò adeſt, ut hoſtes infenſos procul abigat conteratq;. Plaudite JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI, nexui mutuo nihil non fauſtum, nihil non fortunatum fæderatur. Exordia Novi Anni, quibus novam vivere inchoatis vitam, quid ſperare & polliceri jubent? niſi quod unus altero fluet ſecundior annus, eousq; donec ad canitiem perfectiſſimam ILLUSTRISSIMI NEOSPONSI veniatis, polliceri & ſperare jubent, quòd feliciſsimo ad mentem recurſu, exoptata novis decurrent tempora votis, donec gravati ſenio portum æternitatis attingatis, polliceri jubent, & annorum ſucceſſivè venientium Coronæ, & Maritali Veſtræ benedictionem ab Authore benedictionum impertiendam. Plerumq; Maritales amaritudine replentur Anni; aſt Vobis vanum expaveſcere, cum Nomen Mellifluum ac ſvaviſſimum

mum JESU, vitæ Veſtræ momenta dulcorabit. Mentita olim fabuloſa Pòëtarum antiquitas, omne principium debere conſecrari Jano, ſuperſtitiosè tempora Annorum initianti, quaſi hæc principia felici coronarentur fine, vel quod ab hoc abominabili deaſtro, omnis proſperitas rerum dimanaſſet. Veriùs & ſanctiùs (id enim ut ſalubre ratio dictat, ad id ut proficuum fides obligat) devota obſervat Chriſtianitas, ad initia Novi Anni Datori temporum, momenta, horas & tempora, dies & menſes, Annos & ſæcula, omnemq; rerum proceſſum victimando, tutiori innixa ſpe futuri ſucceſſus & beatitudinis. Ordimini à Novo Anno, ſub auſpicijs Regis ſæculorum, ſvaviſſimum Connubium Par Cælo amicum, & jam beata Vobis ab Alto Fortuna pendet, quam Cælo miſſam credite, Purpuratus famulatur Honor, quem infantiles faſciæ DEI Hominis evolvunt, jam Oriens gloriæ absq; occaſu, dies fortunatus absq; ſubſequente nocte illuceſcit, rerumq; ſucceſſus, & quid quid Votis Veſtris placet, ſe devovent Sanctiore Jano ſic diſponente. Panditur ſacratior templô deteſtabilis delubri, Porta Jubilæi, ut Domini ingreſſi Domum, pacificè compoſitos ſponſalitios ratificantes tractatus, illam mereamini indulgentiam, quæ ad nunquàm deſiderijs expectatis claudendam ſuffragetur. Dies Matrimonialis benedictionis ab æterno in Matrē Altiſſimi Jovis electæ, Diviniori Minervæ dicata (damno ſuperſtitioſum Ægypti auſum die præfata) Annorum componet ſeriem, tempore indeſinentis lætitiæ diſtinctam; imò ad optatam computabitur æternitatem. Nec puncto deeſt menti Veſtræ verbum mentis JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI. Ipſa Curia Cæleſtis, ſvaviori reſonat Jubilo, Angelici concentus, & Symphonia auditur, ut etiam Cælis ſit notum, arcano quodam Superum Conſilio, CAROLUM & JOSEPHAM eſſe deſponſatos, ut ſciat tellus Cælos TARLONIBUS & GRABINSCIIS eſſe obligatos.

Ita ſanè; etiam recto adverſans, juſto repugnans, publico fateare neceſſe labio, perverſorum malitia, illis

favere Numina; qui ab eorundem cultu, Religione & reverentia nunquam recesserunt, illos tueri, qui non deserunt charam sibi Patriam in Fide Orthodoxa ampliatam, illis ditissimum Cælorum concredere Thesaurum, seu continuo gratiarum exundare amant influxu, qui liberalitate feruntur in egentes. Verbô, non parcum in dona Cælum, si non contractam pro benefaciendo manum apprehendunt, redamant amantes, honorantes honorant, nihilq; sibi præstari patiuntur, quod non ipsa etiam rependant æternitate. Et hinc vastissimus JLLUSTRISSIMÆ Domus TARLOVIANÆ laudum panditur Oceanus. Immensus quidem est, metiendus tamen sudoris Oratorij profluvio committitur. Profunda Oceani metiri, labor non extra periculum, amicus tamen. Alta petere montium, difficile quidem est, sed gloriosum. Achilleum necesse animum, qui Alpium duritiem tentat emollire. Assurgit tamen in spes meliores animus, & non hebeti acumine ab Asciá gentilitia instruitur, quæ magnificentissimum DOMUS suæ non cessat architectari Augustale. Involemus Polonæ Aquilæ nidum, an non illâ stetit? descendamus in Martialem Lechiadum Campum, an non illâ excultus? & ampliatus. In Originativa Sarmatiæ structura Conditori Lecho Ascia fuit adjumento. Adoret principij sui Authorem Sarmatia Lechum, sed pro consummatione STARZONUM Bipenni immortalem referat gratitudinem. Utiq; hoc Nobilissimum insigne, achænæum fabricavit fulcrum, quô post fatalem Lechi exitum, jam jam ruitura fulciretur Patria, supremo inquam inter duodenos Palatinos DICTATORE TOPOREO, qui postquam ad summum Palatinatûs venit Fastigium, ita gloriosissimis eminuit factis, ut fastos excessisset, tota æternitate notandus, sed à posteritate adorandus. Ille est, quô Maximus Otto, non postrema est magnæ stirpis gloria, Avitæ splendor Asciæ, Purpuratorum Civium Parens, TARLOVIANÆ Prosapiæ Præcursor gloriosissimus. Succedunt palmari via in Bona SZCZEKARZOWICE TARLONES Successores, præmissis tot adoran-

dis

dis de XIEZNE PREGINIA PANIGRODZ Comitibus, à quorum non recedere Encomio consentaneum foret, ni metueret Orator per Labyrinthum gloriæ incedens, deviare. Quærat curiosus indagator vel ignarus Originis TARLOVIANÆ Domus rei veritatem, & facilè captũ excedentes Tomos reperiet, & si segnis à labore; audiat. TARLONES Cives erant Poloniæ, antequam Polonia fuerat, Patres Reipublicæ antequam illa nasceretur. Veneranda & reverenda Domus JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI Canities, Lechiam vidit vagientem, & Puerum adhuc se meminit Honor, cum jam ejus aspexisset rugas. Diceremus Originem TARLOVIANAM Codro antiquiorem, vel simul cæpisse, quando chaos & Saturnia tempora, Gygantum Fratres, Cæli Filios appellaremus, nisi quòd illa incerta vel incredibilia, hæc fabulosa; & à Domo veritatis procul absit, aliquid admittere fabulosum. Plusquam sexcentos originis Vestræ numerámus Annos, & adhuc incusamus tempora, quamvis enim ante tot sæcula surrexistis, serò tamen, quia incunabula solis merebamini. Sed magnos partus sæcula gignunt.

Non omnibus æquè Fortuna plaudit, non statim famulatur Honor, diu laborandum, antequam Purpura vestiat humeros, rara Domus quæ coronatos pariat vertices; cum TARLONIBUS eodem partu evolutus Honor, ijsdem obligatus fascijs, eodem ablactatus ubere simul crevit, hucusq; maturescit, & adusq; senium Mundi perennabit. Utiq; à prima TARLOVIANÆ Originis planta, nullæ sellæ nisi curules, nulli cultus nisi Trabeæ, Viri nisi Purpurati Patres, & DOMUS tota Senatus, Caput quodlibet, dignitatum apex, lingva oraculum, humeri ad Purpuras, manus ad Scipiones, digiti ad Annulos: *Non novit mutare vices sed fixus in omnes cognatos procedit Honor*, ab ipso Magnorum commendatos initio, ità ut sine assentatione dicere ausim, tam illustri Pompa vix Phænìcem nasci Sole Parente vidimus, plausu tanto vix Thebas surrexisse. Surgunt de Mortuali busto, Fatali Libitinæ depressi casu, qui Orbe olim eminuerunt ad Decus TAR-

ŁOVIANI Nominis, ut videantur, & in hac emineant pagina, Infulati Vertices LEOPOLIENSIS ARCHIEPISCOPUS, *P*REMISLIENSIS *P*OSNANIENSES EPISCO*P*I. Deſtinabantur Tyaris, antequam Tyaras gererent, hinc natura inde Virtus decora ſua congeſſit in illos, unde patet additam eſſe dignitatem meritis, non merita dignitati. Liganda erant tænijs Capita, quæ pro DEO, Fide, & Eccleſia laborabant, meritorum pondus Pontificijs fulciendum Scipionibus, Coronandi Tyaris Vertices, qui in uſum Patriæ & Sanctuariorum DEI omnes conatus impendebant. Quodſi mecum in animo conſidero, Magnorum Pontificum flagrans ad omnia *Pie*tatis opera ſtudium, ſi ſollicitam Chriſtianæ inſtitutionis curam, ſi effuſam in egentes ac miſeros benignitatem, intenſum animarum non ſuæ Fortunæ lucrum, propter hanc rerum magnitudinem, non fruſtra TARŁONIBUS favere Numina aſſerere teneor, ac in Laudibus eorum deficio. Sed veniunt Trabeati Patres *P*alatinis gravidi Curulibus JLLUSTRISSIMI SANDOMIRIENSES LUBLINENSES SMOLENSCENSIS PALATINI, qui languentes vitalis Svadæ ſpiritus, licet exanimes, excitant. Ita illi vixerunt, ut ſpeculum vitæ lucidiſſimum dici mereantur, ità ad Decus TARŁOVIANI Nominis rubuerunt Purpurâ, ut nihil poſt ſe Nepotibus erubeſcendum relinquerent, ità occuparunt Curules, ut ſtare pro Patria docerent; ut Sol, cum primò rubet, Ortu innubi & æſtivo illuſtrarunt Patriam, ut nulla in illis ab æmula invidia caligo notaretur. Aſciati Patres, Poloniæ tenuerunt ſecures, quibus ſecuritatem Reipublicæ providerent, tenuerunt Faſces, ex quibus Domus TARŁOVIANA immorituræ gloriæ, Patria perennaturi Honoris opimam legit meſſem. Attollunt adhuc ſatis ex ſe Domus Tuæ ſublimem gloriam ILLUSTRISSIME CAPITANEE poſt *P*alatinatus, in tot TARŁONIBUS relucentia Castellanorum ſubſellia, dilexit eos *P*atria, ſed illi *P*atriam plus quam ſe, cum non ſibi, ſed toti *P*olono genitos ſe crederent Orbi. Non dehoneſtarunt Curules, ſed auxerunt

Majeſta-

Majeſtatem, nec ita illis innixi, ut quoties negotium Patriæ inſtans evocaret, gravarentur. Non opus erat ſcævolis, qui à belli ardore manum non abſtraxiſſent, neq; Decijs, qui pro Patria victimare Capita fatis recuſaſſent. Illorum erat ſtillicone veriùs gloriari: Pro Patria *pars nulla mei ſubducta procellæ turbatamq; ratam certaq; levavi, naufragium commune manu.* Etſi necdum ſatiatus animus, ad plures cognoſcendos TARŁONES acuit appetitum, ad PRÆFECTOS CULINÆ, Inciſores, Pincernas Regni, Magniq; Ducatûs Lithvaniæ ſe conferat, ſi Patria, Majeſtas, Religio, in illis ſapuit, nemo erit cui deſipiant. Patent & Iudiciarij Areopagi, tantisq; Aſſertoribus juſtitiæ commendantur CAPITANEIS, ut præſens ſæculum vix Pares audiat. Illis Iudicibus, non licuit bono eſſe miſerum, nec malo felicem. Evocant in aciem paginæ, tremulum Panegyriſtæ Calamum, proq; ſui Honore TARŁONES Vexilliferi, ſtyli acumine dimicare urgent, quibus palmam ceſſiſſe, palmare ducitur, ne tamen eo ipſo ſuccûmbere videatur, infractos labore Vexilliferos dicere ſatis ducit: *Premitur nec ſignifer ullo, pondere, feſtinant ab eo Vexilla moveri.* Solem deficere in Lumine, ab Oceano abeſſe aquas quis aſſeret? idem eſto judicium de TARŁOVIANA DOMO, Hæredes ſunt Honorum, Domini Dignitatum, Miniſteriorum Regni, & Curulium perennes Poſſeſſores. Demittit Eminentiæ Senatoriæ Majeſtatem, reverentiâ Numinum, Zelô fidei, ſtudiô Virtutum, charitate proximi, commiſeratione egentis, compaſſione depreſſi, ſolatiô afflicti, amore Patriæ, commodo Reipublicæ, utilitate Libertatis, fidelitate Regibus conſentanea, conſiliô Senatum decente, è Cælorum Regia tanta comitatus Caterva pridem ad Superos evocatus *JLLUSTRISSIMUS JOANNES TARŁO PALATINUS SANDOMIRIENSIS* Proavus Tuus Mæcenas gratioſiſſime, dolendus Senator non eò, quod deſierit vivere; mortalem enim ſcimus, & commune omnibus fatum credimus, ſed quod tam cito abierit, pupillamq; charam Matrem, non degener reliquerit, Filius, dolendus! juſta e-

nim doloris ratio separari ab amante, amittere dilectum, privari necessario, illoq; destitui, cui tota curarum Palatinatus, Regniq; innixa machina firma hæsit. Infert dico Eminentiam Majestatis, ut in se superum referat favores, & quod nisi nolentem non præmientur, referat TARLONES ab ævo fuisse & in ævum duraturos, sine interruptione futuros Honorios. Idem genere, non dissimilis virtute, æqualis merito, ingens famâ, non minor Honore: Gemma arcanorum conscia, Coronati Capitis mens, Os & Cor Regis, auxit Coronæ splendorem; gemmeo Eloquio stupere fecit Senatum; Jupiter perorans, signavit perennitati Privilegia TARLONIBUS conferenda, totam Poloniam Magnumq; Ducatum Lithvaniæ, imo Regna admiratione suspendit, veriùs, à latere Orator, quam à Throno, JLLUSTRISSIMUS CAROLVS TARLO Cancellarius Regni Avus Tuus. Tractatæ dignis manibus Magni Cancellarij insignes Ceræ, edulcorant Svadam, Annulus Regni gemmeam facit, à Ragibus tamen laudandus, qui pro Regibus loquebatur. Dicerent, CAROLUM CANCELLARIUM optimum Civem, non tantum ad salutem Caput pro Patria portasse, sed etiam ad vulnera, non annulo tantum digitos conformes exhibuisse, verùm & dextram ad ferrum paratam: non semper enim qui in Domibus Regum sunt mollibus vestiuntur, dum Mars bella intonat etiam Sagum induunt, non prospicere duntaxat, sed etiam cæco impetu in commune bonum ruere debet Polonus Pelopidas, licet cum privato dispendio, Humero manuq; tenere publicam integritatem, vicina Capiti moles est, & molestia. Inferunt se Coronæ TARLOVIANÆ Domus, plures gemmæ Annuli Cancellarij, de eodem aviti generis emersæ Oceano sed nostris (ut Gygis) fascinum imponunt oculis, ne facile videantur, quam sint ingentes merito, probitate & dotibus. Ita est JLLUSTRISSIME CAPITANEE, Decora Domus Tuæ: *Celsa tenent summoq; feruntur cardine, nec radios humili statione recondunt.* Floruêre sub Violis, rubuêre sub Rosis, Illustrarunt Sagum & Togam: Notantur

tur gradibus, prenſant Faſtigia dextris. Parens præſtantiſſimi Poloniæ unionis, (Libertatem intelligo) & ſimul incomparabilis Orbis theſauri, Tui inquam Mæcenas gratioſiſſime, appretiandus Cælo Genitor Tuus JLLUSTRISSIMUS ADAMUS TARLO PALATINUS LUBLINENSIS partum ingenij exigit. Parentem unionis auſus creare Elogiaſtes non immeritò, exceſſit ille Civili Catonem ſvada, forti Brutum zelo, intrepidè pro Libertate, liberè pro Patria, & dixit, & egit. Non jam ramum Delphicum, ſed arborem ſcientiæ coluit, ut Laureatus ubiq; proceſſiſſet. Dij boni! quot in Senatu veluti in Paradiſo implantavit oracula, quot vitioſos è Patria, ſollicito conſiliorum labore eradicavit ſurculos; quot inutiles è Palatinatu Regnoq; diſcordis unionis eliminavit plantas, quot Aſciatus Pater, ſteriles præcidit arbores, fructiferas Pacis oleas procreando, bonus ADAM. Prudentem Senatorem, audivêre omnes ut oraculum, ſtupuêre ut miraculum, faciles & propenſi ad utrumq;. Meruit amorem Regum, à Patria gratitudinem, à Senatu reverentiam, ab ordinibus Cultum, communem ab omnibus æſtimationem, legum Aſſertor non Prævaricator. Et ſic ſatur Honoris, cui pro radice poſuit Virtutem quâ in vota ſua flexiſſet ſuperos, demum Honorem qui reverâ ex merito illi venit, ſic plenus meritorum, onuſtus bonis operibus & diebus, Nomen terris affine, & facta Cælis cognata, ſimul in *Paradiſum* aſſumpſit vitæ, pro gloria Illuſtriſſimæ ſtirpis ſuæ, providus, Paradiſi terreſtris Cultor, potiorem Æneæ ramo, Xerxis platano, Dijs veris ſacram, immortalitate meritorum commendatam, fructu eminentem, Virtute excelſam, dignitate ſummam, Lauros & Oleas progerminantem ſtabilivit arborem, Tanto Genitore dignam Prolem. Vitam debes JLLUSTRISSIME CAPITANEE, Genitrici Tuæ DOROTHEÆ de BORKOWSCIIS, qua Nomine, qua Virtute, qua Honore, qua merito, qua magnæ ſtirpis origine JLLUSTRISSIMÆ, ſed ſimul & virtutem. *Prius* Tibi illam Maternô ſubminiſtravit lacte, ut illa commendatus, virtu-

 tis

tis Lactantius dicereris. Quodsi de Avia Tua, Proaviaq; de Majoribusq; Polonarum Augustarum divisim dicere tentaremus, nullum finem dictioni ponere veniret. Præscindit jam funesto hucusq; immoratum operi & dispositum ad deliciosam Nuptialis pompæ structuram evocat Encomiastam, nisi hostibus fatalis JLLUSTRISSIMÆ DOMUS Ascia, illi lugubre terminando feretrum, qui mortibus vivere studet, seu emendare jubet errorem, Lectissimos Antecessores suos recessisse tantum, non vivere desiisse, evincendo. Et revera: non extinguitur lux Virtutis atrore vitij, sol, densiore spissarum nubium obsidetur colluvie, & eo vibrantiore per nebulas jaculatur radio, eripit procellæ Caput, & in ipso nubium percussarum opaco triumphalem sibi erigit arcum. Multi vix esse in Mundo desinunt illico & vivere. TARLONIBUS, Tritavis, Atavis, Avisq; Tuis JLLUSTRISSIME CAPITANEE, ac Dilecto Genitori & sua superasse fata; & sisi superesse datum. Phænices quidam sunt JLLUSTRISSIMORUM Prædecessorum generosæ mentes; eodem sepulchro tumbam & cunas ad novam famæ vitam inferunt. Resonate jubila, sonori aurem mulcete concentus, dulcisonæ Hymæneum animate voces; vocales DOMUM Fortunæ & Honoris JLLUSTRISSIMI CAROLI & JOSEPHÆ replete symphoniæ. TARLONES etiam post funera vivunt. Vivunt in Te & per Te anima Poloniæ, Mæcenas Gratiosissime. Nomen enim quod à Magnis Prædecessoribus accepisti, majus reddis, & jam decoribus vitæ accumulas, immortalitate factorum eminentius, meritis in Patriam auctius; ut res in controversum veniat, plus ne Tu illis an illi Tibi dederint. Præclarum est lucem compensare majori luce? compensas, aurum reddere, auro? reddis, ipsam nascendi Fortunam ditare, ditas. Antipater Tibimet es, Te ipsum procreando Famæ, Phænix, Tibi ipse Pater & Filius. Dolenda plerumq; in Filijs & Nepotibus Conditio, Illustres Majorum Ceras tetra vitiorum infumant caligine, Patritio rubent sangvine sed simul vitam erubescunt dissimilem; resuscitant Patrum cadavera,

davera, sed suis non animantur operibus, nec vita Regni dici merentur. Diversum de Te JLLUSTRISSIME CAPITANEE credimus, quia videmus. Majores Tui Soles erant, Tu dies. jlli Gemmæ, Tu decor & pretium gemmarum. Ideo à Majoribus claritatem accepisti, ut eandem refunderes, & Polono Orbi communicares. Hinc quidquid dicitur de illis, Tuum est: quis enim lucem diviserit à Sole; & quidquid de Te proprium est Prædecessorum: *In Te vivit avus, propria Virtute Togatos præsentas Patruos Patremq; Mavorte Sagato vivere post mortem, Tu Hæredibus exprimis actus, concentrando in Te Patriæ compendia famæ, Tu Columen, Tu grande Decus Tutelaq; Regni.* Quotquot veneramur TARŁONES, vel anima fuerunt, vel sunt Regnorum. Primus est ex Superstitibus JLLUSTRISSIMUS JOANNES TARŁO PALATINUS SANDOMIRIENSIS Patruus Tuus, non Curuli tantùm quâ eminuit & eminet, sed Solio Regni elevandus. Dilectionem, quâ Superi prosequuntur JOANNEM non in se tantùm reflectit, cum Patriam plusquam se diligat Amór Civium. Tota se gratiarum plenitudine exhausit Cælum, nihil, & quòd ad bona Corporis prætenditur, & quod ad bona animi requiritur, & quod ad esse reì substantiale attinet abstrahendo; imò quæ alios divisa beatos efficiunt collecta tenere datum JOANNI, ità, ut dotum quæcunq; æstimari assolent Promptuarium habeatur. Numina JOANNI Nostro propitia, nec JOANNES à Numinum reverentia, cultu, Religione, Zelo alienus. Nihil non sanctum, nihil non Religiosum, nihil non devotum, nihil non justum, nihil deniq; non decorum in tot Regni Celeberrimis Ministerijs & Publicis Judiciorum Areopagis molitus, ut pro Ara Honoris, Aram gloriæ ex se & in se Numinibus fabricaret, obligatus. Redit iterum à quo deflexit Panegyris, redit ad Protectorem suum obligatissima Religio, seu pars minima Religionis, totum Reipublicæ adæquatissimum, saltim in Parte convenientis laudis attingendo, animam Regni Palatinum SANDOMIRIENSEM dixi? Ita est, anima, æquè toto in tota ac in

E parte,

parte, æquè in parte: ac in toto animat. JOANNES TARŁO æquè Sandomirienſi Palatinatui ac Regno, æquè Regno ac *P*alatinatui; Civibus ac Regibus, Regibus ac Ordinibus vitam inſpirat. Multis propria, JOANNI *P*ALATINO, Patriæ vita, ſuâ charior. Abſente anima, Cadaver putridum, non corpus videtur animatum. Subtrahat *P*ALATINUS Conſilium, Polonia quid? niſi Corpus Monſtroſum. Deſinat in ſuo jactari Latium Catone; *P*ALATINUS plura opera Reipublicæ immolat integritati. *P*ræbet Cor Patriæ, quod illa dedit, reddit vitam quam conceſſit, ne ab arboribus vincatur, quæ umbram illi terræ præbent, à qua emerſerunt. A ſuo *P*alatino, à Noſtro *P*rotectore Gratioſiſſimo habent ſuas gemmas Coronæ, præſidium Faſces, Oracula uterq; Senatus, *P*atronatum Libertas. Quoties ſeipſo Polonus Alcides grandia ſubminiſtrat fulcra, non habet Reſpublica quo cadere poſſit, quoties conſeruit enſem, induit panopliam ut ſe ruenti in noſtrum exitium hoſti opponeret: *nil ille pati nullumq; recuſat diſcrimen tentare ſui, non dura viarum, non incerta Maris.* Coarctamus magnitudinem rectegeſtorum Tuorum pro *P*atria & in *P*atria *P*rotector Faventiſſime, ſed terminum laudis non ponimus; imò infinita merita, his *P*aginis, non poſſe comprehendi, toti, qua latepatet Orbi præſentamus, Etiam incapacitatem in dignè celebrandis fateri non erubeſcimus; quod ſingula, & omnia, Tui, vix complectamur elogia: *per Te namq; unum medijs exuta tenebris, Imperio, ſua forma redit, clauſtriſq; ſolutæ triſtibus exangues audent procedere leges.* Legitimum eſt ILLUSTRISSIME *P*ALATINE, ut dent Tibi DII illam ætatem, quam mereris; ſervent animum ad maxima natum, quem dederunt. Hæc ſumma votorum; ament Te Superi, ut Tu Nos, & nunquam à Tuo recedant nutu. Eadem planè publica meritorum via, *A*uguſtam Fortunæ & Honoris Domum, ingreditur JLLUSTRISSIMUS *A*D*A*MUS TARŁO *P*alatinus Lublinenſis, & ſtatim gloriæ ſuæ comitem, pij Inſtituti habet Svadam. *A*d magna natus, brevi adæquavit, quæ tantùm

dece-

decerent Senatorem. Docuit Honorem obſequi TARLONIBUS, ultroquè ſe illis debere offerre Purpuram ſupplicem. In initijs vitæ, quæ Orbis de TARLONE Palatino formavit omina, illa brevi effectuata vidit, & adorat. Probavit TARLONUM Indolem, etiam minorennem, ſummos excedere Viros. Probavit, maturam Virtutem, & juvenes canos facere. Præmiſit JLLUSTRISSIMUS PALATINUS, & Virtutem, & cum virtute labores; ut ſic rectefactis Comitem virtutis ſpectaret Honorem, Senatoriamq; ſibi dignam, TARLONIBUS Hæreditariam poſſideret Curulim. Ivit tamen priùs, per ſtrepitum meritorum, ad Tribunal Regni Radomienſe; & ſtatim decreto votorum unanimiq; conſenſu victus, Scipione Mareſchalcali fultus *ADAM*, vacillantem Iuſtitiam aſſumpſit reſtaurandam. Planxerunt crimina, ingemuerunt ſcelera, contriſtati ſontes, ſed lætum ſonuit clamore Tribunal, *Te faſtos ineunte, quater ſolennia luſit omina Libertas, deductumq; vindice morem lex celebrat.* Plura ſe offerunt de JLLUSTRISSIMO PALATINO, Publico Eloquio celebranda, ſed cùm plerumq;, Tacitum agere juvat, Claudianus loquatur: Quâ dignum *Te laude feram; qui penè ruenti, lapſuroq; Tuos humeros objeceras Orbi.* Quid reſtat? Origines Celſiſſimæ TARLONUM Domus; maximum inter minora Sidus, in Polono ſine Eclypſi Zodiaco, inter duodecem Palatinos lucere ſuſpeximus: de Principe STARZONUM Purpura, ortum vidimus; tot Comites aſſociati, Hæroes, bellô celeberrimos; jam conſcriptos Patres Eminentiſſimos, Viros Togatos Lectiſſimos, ſanctoſq; adoravimus Præſules; nullum ſine Honore, de TARLONIBUS, officiô excepimus Calami; Adhuc adhuc convenientiſſima ad Majeſtatem utriuſq; ſtirpis, CAROLI, & JOSEPHÆ; ad lætitiæ exuberantiam, ad Regium Hymænei apparatum, præſto ſit neceſſe Pompa, quam Paludata ab Othone & Iagiellonibus, Purpurata, in TARLONIBUS, Celſiſſimorum de OSTROG Ducum, *CZARTORYSCIORUM, WISNIOWIECCIORUM, ZBARAWSCIORUM,* extendunt Nomina,

na. Trabeata *in JLLVSTRISSIMIS*, Iam in Su premo Mareſchalco Regni infracto Patriæ Scipione *JOSEPHO MNISZECH*, ex Matertera Tua Cognato, jam in Palatino Kijoviæ Magnoq; Duce Exercitûs *JOSEPHO POTOCKI*, ſtrenuo Libertatis Defenſore, peramante Sororino, jam in *WIELOPOLSCIIS* proxime Tibi affinibus, jam in *LUBOMIRSCIIS, LESZCZYNIIS, JABLONOVIIS, SIENIAVIIS, ŁASZCZOVIIS, HOMENTOWSCIIS, TARNOWSCIIS, CETNEROVIIS, OPALINSCIIS, LANCKORONSCIIS, PRZYIEMSCIIS, PRAZMOWSCIIS, KONARSCIIS,* & auget Dignitas, Tuisq; *JLLUSTRISSIME NEOSPONSE* præludit Hilarijs; adeò; ut totus Scholaſticorum Numinum tremefactus Senatus, TARŁONES, niſi Purpuratos Patres, & Domum totam, niſi Senatum, de genu adoret. Adorat in Te & Te ſimùl JLLUSTRISSIME CAPITANEE, adorat Regulam morum, ſpeculum Prudentiæ, exemplar Virtutis, Canonem Pietatis, Univerſitatem Sapientiæ. Dum leges videt, Te Codicem ſuum indigitant, dum orphanos ſolatur, Te Patrem ſe habere dicunt, dum pupillos dolet, Te clamant Nutritium. Innocentia Te Cuſtode tuta. Sacra Themis ſuo Iudici, ſancto, juſto, incorrupto, æternum obligata. Plura ſunt; imò infinita JLLUSTRISSIME CAPITANEE, quibus Numina ſibi propitia efficis, Patriam coronas & Reges, Duces & Regna mirari facis: omnium ora, & oculos, in Te convertis, addis lucem non adimis DOMUI ILLUSTRISSIMÆ. Benedixit Dominus Coronæ annorum Tuorum, non vile laborum obſequium & virtutis ſtudium, illo rependit munere, quod omnibus acceptatiſſimum. Matureſcit puſio Svada, ad infantiles vitæ Tuæ Cunas, dum ludicras imagines, perlucida criſtalla, ſpecioſa fulgetra, domeſticos demum pulveres conculcatos, & procul amotos; ſoli tantùm decumanæ virtuti, mentis puritati adhæſiſſe, Palladis ſitiſſe arenam, Phæbi fulgorem exoptaſſe, contemplatur. Iactabundè quondam figmentum Pöétæ plauſit Tullo & Alcidæ natis, ac ſi ad unius ortum, rutilaſſent tempora flammis; alter adhuc

cinctus

cinctus fascijs, jam proprio nocivos, tollere Marte Cerastas, valeat. In Te ILLUSTRISSIME CAPITANEE, verè Orbis suspexit; vix es genitus: *pavidi gemuêre Gelones, nascentisq; die, subrisit lumine Cælum innubi, radios in totum clarius Orbem, ignivomis vectus profudit Apollo quadrigis, præscia venturis spatijs Hæroa futurum Numina suspexêre.*

In ortu parentis Luminum, indubitatum, serenioris diei affulget omen, in vitæ initijs, qualis quantusq; futurus eras, optima boni Genitores Orbisq; integer formavit præsagia, nec spem in herba posuêre. Docuisti brevi ILLUSTRISSIME CAPITANEE, etiam imberbes Apollines, extra fabulam depromere oracula, & infantes Platones, mella fundere Consiliorum. Commendari proceritate corporis, venustate formæ, Elegantiâ animi, Gygantea artuum agilitate; futile ac puerile æstimasti, illam ratus extensionem, annorum Nobilissimam, quæ virtute mensuratur, illam longitudinem Vitæ gloriosam, quâ virtus non minor, mens gerendis Curis ante annos virilis, par galeæ ferendæ Caput, necdum ætate firmum, animus omni hoste major. Cæpisse benè plurium est, desijsse multorum; nec ungue recessisse à cæptis, selectorum. Eandem ubiq; virtutis normam, probitatis idæam, exemplaritatis regulam, opere docuisti; quam Tibi vel natura instillavit, vel pronus ad honestum animus præcepit, vel Majorum præcepta porrexêre. Vellet Te iterum, adorare, Caput Orbis Roma, omnemq; in Te reflectere Cogitatum; quam gravitate morum in sui converteras apprehensionem. Ad vultus Tui amænitatem florentiori facie Galliæ eminerent lilia, si iterum, odore Virtutis Tuæ, quem spiras hucusq; replerentur. Flagrant desiderio Te videndi Gentes, quia Te brevi morantem, exemplô capere non poterant, ipsaq; laudabant taciturnitate. Vocalis per Orbem Hæroum virtus, non segnem ad bella probat in Te animum ILLUSTRISSIME CAPITANEE, belloq; Togaq; Maxime. Non extinguis intensum bellandi ardorem; quem in infantilibus excitasti artubus.

Hercules, contra infestam monstrosis partubus Lernam adolescit, Paternumq; ei Iupiter cum sanguine infudit robur. Aperuit Romæ voraginem terra, sed statim & Curtio, tam grande Cor excrevit, ut hiatum illum & fauces voraces Lethi obturaret, publicamq; lætitiam afflictæ Urbi efficeret. Quot Orbis Partes tot hostes Polonia excipit, non tamen pupilla viris, qui virus & pestem pharmaco Gradivi nesciant medicari. Ducem Te Clypeatæ cohortis, Sacra Regia creavit Majestas, & funera hostibus paras. Voluit Generalem esse Majorem, & exterorum ferocientes reprimis conatus. Non jubes ire Comites: & causam dicere ferro, sed primus intrepida virtute præivisti & animo. Alij multa docent, Tu plura fecisti. Imperant, Tibi ipsæ parent victoriæ. Vicisti corda omnium, & singulorum; ut non modo jubeas, sed nutu velis, præsto: manus omnis in armis. Assvetam ferro manum, quam metendis hostium admovisti Capitibus, etiam Mareschalcali Scipioni aptam evicisti. Exultavit Radomiensis Astræa, ac, optimè consultum à Superis esse decrevit, ut Te Iudice crimina plecterentur.

Quantum ILLVSTRISSIME CAPITANEE intensi addidisti sudoris, ut pridem exul Iustitia & veritas superis innatæ virtutes, iterum remeantes, omni securitate providisses. Cælum, Polonam Themidem formasti, nullo tamen erratico infame Sidere; pupilla egestas Te Iudice, ac Patre simul dives; quod perditas Fortunæ suæ cum gaudio invenit drachmas. Non licuit Te Arbitro indemnem à pænis exultare malitiam, non licuit absq; incusso rubore Purpuratis quoq; grassari excessibus: Nam, ubi ad iuris ventum regulam, nulla admittebatur appendix, quæ in mitius detorqueret: nulla exceptio quæ sententiæ latæ subtraheret. Interea, nemo cum hostili animo forô excessit, quia nemo damnatus; quin prius ab ultrice conscientia decretum ferret. Felix nunc suo Stężycense Decretorium CAPITANEO, tenaciter pro Iustitiæ palma decertante: ex qua ut proportionalem umbram, & fructus svavissimos capit innocentia, ità lictoritias virgas,

& amarum corticem, piacula decerpunt. Veram Indicis & Iudicis efficis Paronomasiam; ut enim, mobilis in horatijs Authomatibus stylus, ad quodlibet signum, æquali defertur intervallo, ità singulis Iustitiam sitientibus, Te dividis, æquitati tantummodò addictus non dignitati. Non frustra ità Solonem, ità Aristidem, ità Lycurgum, ut simul CAPITANEVM Stężycensem, Publicæ repetitis exoptant Curiæ desiderijs. Pluries se Tibi ILLUSTRISSIME CAPITANEE gerendi offerebant ejusmodi Scipiones, ni illi à longè restitisses. Et licèt, nec minimas licito ambitu concipis scintillas, flagrantissimo tamen Tui desiderio, Honor æstuat. Permitte de Te communibus votis palmam, & Ducales Tibi militabunt Clavæ, Amove tantisper umbras Modestiæ, & Senatorio inclarescés ostro. Illibato mentis candori, omnis speciei murices commendantur. Splendores TARLOVIANO Nomini affines, sub humilitatis velo latentes, revolve, & Cancellariæ adherebunt Ceræ. Sed sentio, ILLUSTRISSIME CAPITANEE persvásum Te esse de Honoris rectitudine, illumq; Tibi quoties volueris obsequi debere; & Numinum favore, & meritorum dominatù imperante. Non Te continua torquet cogitatio, non cruciat desiderium, non mens angit, non spiritus inducit, non studium molestát; ád profáni appetitum Honoris: quin priùs Numinibus Honorem de more Tuo perficias, & ex integrò efficias Tibi obligata. Asciate Pater, Levatô ad funditùs extirpandam Superstitionis Sijlvam Domûs Insigni, Dijs colendis Pantheon erigis; Campos Fidei in planitiem ex æquare, Zelus pro Dijs est. Fulgor Vestri ferri, profanos extingvens ignes, meridies Honoris Cælis accensus est. Prosternere dicta malorum, fugare falsa, vanaq; scripta secare, superum est tueri integritatem. Templum Honoris, Deo dicatum ILLUSTRISSIME CAPITANEE coleris, tot aris, quot virtutibus distinctum. In ipsa facie primam erigis aram veræ dilectionis DEI, alteram proximi; nunqvam expectando preces egentis, sed ubi necessitas exigit, etiam ante preces prævolando. Hábet pri-

mum à látere pietas locum, quasi Spiritu totus compositus menti tantùm vivis & animo. Opponit se, opposi tione contraria, Excelsæ stirpi, Maximis Honoribus, infima Humilitas; ut quo altior sis Nomine, genere, meritis, dignitate, eo major demissione. Etiam descendis ad minimos, nullum tamen Magnitudini dispendium facis: sic gemma penes pumicem, Sol penes stellas, Rosa inter herbas pretium habet non amittit. Rarus est cui dura non effringant áuimum. Tu Adamas in adversis. Asymbolam Syderis maximi tenes mentem, quod etiam tunc luce non destituitur cum nubium inficit horror. Sociatur tam ingenti, non minor Constantiæ Ara, sive Fortuna insaniat, sive res ad vota fluant animus semper invariabilis. Compendiamus ad unum innumeras virtutes Elogium. Si enim singulas ad exiguam vocaremus paginam nulla adæquato & proportionato coronaretur voto. *U*ltro se enim una alteri ingerit; & hæc laudanda, & illa adorandá; imò omnes simul celebrandæ veniunt, cum continuatum omnium perficias exercitium; vel ideo; ut incessanter in Te honoretur DE*U*S; ut facilius Tuis votis Numina ad favores provocentur indulgendos. Ingentiá verum sunt DEI dona, & meritis hominum celsiora, demittunt se tamen, & ad suos deflectunt exoratores. Initio planè Originis cum sæculis cæpto commendari, ingens Deorum Donum est. Celsissimos Honorum jactare Titulos immensus Superum favor. Iam Regum jam Ducum, jam *P*rincipum, Cognatas jure hæreditario inhabitare Regias Regis æterni & Principis dominantium respectus est. Fortunæ lactari ab ubere, Numinum Providentia Forma composita, venustior facies, sanctioris Adonidis labor est. Salomones scientiâ, Consiliô Catones, facundiâ oris adæquarè Tullios; Æternæ Sapientiæ opus quis non afferat? Et licet munifica DEI manus, nonnulla cunctis contulit, in Te JLLUSTRISSIME CA*P*ITANEE, multa efformavit, plura tamen contribuere non cessat. Eviscerantur Numina in dona, ut Honor in honorante clarius elucescat.

JLLU-

JLLUSTRISSIMA JOSEPHA GRABINSKA CASTELLANIS SANOCENSIS Tibi hodie in Sponſam ſociata vitæ, ſingulare Deorum donum eſt. JOSEPHAM intueris, Fortunam adora. Omnia Tibi pariter bona veniunt cum eadem, vel ex ipſa notatione Nominis comprehende. Incrementum beatæ ſortis & proſperitatis in Domum Fortunæ introducis. Sponſam & Nutritiam ſimul, vitæ ſuæ recipis accuratam. Donum Deorum eſt. Originem ortûs indagas? Patre JLLUSTRISSIMO JOSEPHO de GUMOWSKIE GRABINSKI CASTELLANO SANOCENSI: Illo Patre, cujus vita norma vivendi, probitas regula morum. Illo Patre, qui amor amorum, virtutum ſumma, recti compendium, dici meretur. Illo Patre, quem Reges amant, Senatus virum & Senatorem, maturæ gravitatis, & authoritatis colit, Nobilitas Territorij SANOCENSIS Primicerium adorat; Illo inquam, qui facem prætulit Conſilijs, Nuntius terrarum & Officialis antequam CASTELLANUS. Non vixit mendicatis ab aliorum partu ingenij ſuffragijs, ad Curiales Legationes Orator & Legatus. Ut Libertatem in ſuis immunitatibus ſtabiliat, Patriam ab ingrueentibus defendat malis, non eget auxilio Conſiliorum, Senator non vult, ad Legum vigilias excitari, probatus earundem Cuſtos & Aſſertor. Matre de BALOVIIS WOLSKA CASTELLANIDE PREMISLIENSI, nunc, CASTELLANA SANOCENSI Pia Monica, utroq; optimo Genitore nata Pulcheria, Parentibus Filia, Tibi Sponſa & Honor Caſtellanis: nam ex utraq; Domo honorata. Donum Deorum & favor eſt. Inſignia JLLUSRRISSIMÆ DOMUS prætendis? GRABINSCIORUM POMIAN eſt, aſt nunquam in mutatione ſuſpectum Decus. Prima hæc Cælorum inſtinctu commutatio. JLLUSTRISSIMI Genitores Tibi Filiam in Sponſam cedunt, Te in Filium adoptant. WOLSCIORUM NOWINA, vetus tamen de hac Domo rumor: *Clara ſatis Domus hæc Nobilitate ſua eſt*. GRABINSCIORUM POMIAN Caput eſt, imò Caput Capitum & ſuper capita. Dum pro Patria ſudat, in Oceanum

G transit,

transfit, æquè Consilia ac uniones pariendo, quibus pretiosior Patria æstimatur. Verè Caput aurum optimum; Adde pretium JLLUSTRISSIME NEOSPONSE, de hoc Capite, Divinam Palladem, adoras JOSEPHAM. Quid sit actum jam optimè novit WOLSCIORUM auris, Orbis necesse specialem audiat rumorem, CAROLO JOSEPHAM, TARŁONI GRABINSCIAM, CAPITANEO CASTELLANIDEM, venustiori Paridi, comptam nupsisse Dianam, & Genere, & Familiâ, & vitâ, & moribus, non dissimilem. PATRE JOSEPHO, MATRE THERESSIA; hic ut bonus Senecio, nisi DEUM, nisi virtutem, nisi probitatem, intaminato vitæ tractu ducens, eandem, institutione, exemplô, monitis nunquam, in JOSEPHIANAM transsubstantiavit normam. MATER THERESSIA tota Seraphica, mente Cælos, corpore terras inhabitans, devotam, & Sanctam, educavit Filiam; omnisq; virtutis ardorem, materno non extinxit lacte; imò instillavit, ut ad mentis suæ Ideam JOSEPHAM, Te CAROLUM reflexissent. *A*rbor bona bonos generat fructus, Oceanus nisi gemmas parit, Tagum fundit Hydaspes. Mentis intuitum, in sui appretiationem evocat *JLLUSTRIS ADALBERTUS GRABINSKI CASTELLANIDES SANOCENSIS*, dilectæ Consortis Tuæ, Frater Germanus, Patrum Corona, Genitorum Solatium, *GRABINSCIANÆ DOMUS* Unio, Vestræ *JLLJSTRISSIMI NEOSPONSI* Gemma Coronæ, annuli Sponsalitij *A*damas, pectoris monile, Scholarum Piarum Ressoviensium Thesaurus. Minorennis annis, & jam maturus moribus. Odit infantem virtutem, quæ dextra manu duci debeat ad gloriam. Adolescit ad magna animus, & non indiget puerilibus ad bonum illicijs excitari. Novit silicem à *P*yrope, paludem à fonte, carduos à violis, frustra venustatem petere, ni suam habeant. Ne tantùm majorum inclarescat factis, grandia Patrum vestigia premit, brevi in omni adæquaturus probitate; utinam cum annis, & honore, præter Publicum & *P*atrum solatium pro Pij Commendatione Instituti. Donum Deorum est *JOSEPHA* Consors. In Clarissimo

ſimo *OSSOLINSCIORUM* Nomine ſatis evidens, in Nobiliſſimo *GUMOWSCIORUM* Genere patens; hæc *Avia* illa Proavia contemplanda. Nunc *Avus JLLUSTRISSIMUS JOANNES ANTONIUS GRABINSKI* Dapifer *ZAKROCZYMENSIS* Gratia, & miraculum, Regibus amicus, Civibus charus, *Poloni* Orbis amor, *DOMUS GRABINSCIANÆ* Decor adorandus. Comite nexu ad indiviſam gloriæ auxeſim affulgent ſydera *JLLUSTRISSIMUS SIMON WOLSKI CASTELLANUS PREMYSLIENSIS*, tum lectiſſima *CATHARINA* de *BALOVIIS WOLSKA Avus* & *Avia* etiam de umbris ſepulchralibus amicum ſibi Lumen Tibi favens *JOSEPHAM* commendantes. Extenditur amplius illimitatum Cælorum donum & per *BALOVIOS, CHODOROWSCIOS, MNISZCHOVIOS, KARSZNICCIOS, ROZVADOWSCIOS, DROIOWSCIOS, SKARBKOVIOS, KOSTKOVIOS, PROSTINSCIOS, BIERECCIOS, RUMEROVIOS, KOTOVIOS, SUFCZINSCIOS, SMARZEWSCIOS, SKRZYNSCIOS*, &c: alios ut Columina Regni, Patriæ Fundamentum habitos, & non modo Legatos, Deputatos, Ductores, ſed & Senatores adoratos, alios ad eiusmodi miniſteria ſuperum adhuc favore reſervatos, ad præſens in *JLLUSTRISSIMO BOREIKO* Deputato ad Tribunalia Regni, Viro lectiſſimo, Patriæ decore, pro juſtitia zelatore favente; *GRABINSCIANÆ* Domui Colligatos, latiùs patet, Magno Conjugi non minorem ceſſiſſe ſponſam. Parem illi, non tantùm *Polonus* opponat Orbis, Athomus erit ad montem, radius ad ſolem, umbra ad lucem, gutta ad Mare inexhauſtum. *JOSEPHA NEOSPONSA* in Luce Hymænei, nil agit erubeſcendum, niſi *Purpuram*, Virtutum Stipatam Famulitio ſi comitari placet? Reginam ſuſpicari neceſse. Coronata prudentiâ, paludata pudore, in Toga humilis, in unione candorem, in auro puritatem, in torque prudentiam, in annulis æternum ad cultum Deorum fædus, benè ordinata componit Majeſtate. *JOSEPHA* inquam, tanto magnorum Nominum ac virtutum ex ùtraq; propagine cincta comitatu, Hymænei redimita Coronis, par obtinet Regum Connubijs, eò lætiùs, quod

ad omnem probitatis normam nacta sit Conjugem *TARLONEM JLLUSTRISSIMUM.*

Eja age *JLLUSTRISSIME NEOSPONSE*, triumphat Panegyris, ubi superum favorem in Te adorat. *A*vitis decoribus, Gloriâ Familiarum, mutua *P*rosapiarum Origine, non impar *JOSEPHA* in sponsam Tibi Cælitus cessit destinata. Eja age *MÆCENAS FAVENTISSIME* tot Numina, quot Lumina, Domum Honoris & Fortunæ, ad augendam Hymæneo Majestatem, *A*stris splendidiùs irradiant, ità; ut etiam Oratoria Lumina rutilent clariùs ad illorum intuitum. Et hæc est Domus Fortunæ & Honoris, quam nullis quatiendam insultibus, non fatorum teredine consumendam, non temporum vetustate minuendam; non adversæ fortunæ validis expugnandam arietibus, Vobis *JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI* Artifex votum fabricavit. Hanc apparatus ornat Regius, hanc Principum decorant Mytræ, hanc Senatorum implent Curules, hanc Ducum fulciunt Clavæ, hic *JLLUSTRISSIMA* Prosapiarum Lustra, hic Divorum Aboriginum imagines, & tota facies Senatus. Ponit cardinem, Votis Vestris favens Ressoviensis Mercurius: extendant favores, augeant gratias, prolongent vitam boni superi. *JLLUSTRISSIMI NEOSPONSI* uno concordes vivite voto, quos decor & virtus, quos amor & ætas sociavit. MÆCENAS GRATIOSISSIME Dent Numina, inoffensum successibus omen, sintq; Trophæa Tuas semper comitata secures.